

Q.K.  
428,  
33.



X1059887

I. N. J.  
DE

# SIBYLLIS

In Almâ VVittebergenf.  
*Publicè disputabunt*

M. JACOBUS Reichmann/

Serenisf. Elector: Saxon. Alumn. Collegij Philos.  
Adj. S. S. C.


*Et*

M. PAULUS PHILIPPUS RÖBERUS,

Witteb: Saxo.  
*Ad diem 2. Maji.*  
In Auditorio Minori.

---

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typograph.  
ANNO M. DC. LV.




80. 24.



1172.

*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





## I. N. 7.



Emo adeò hospes in Historia Ro-  
 manâ pariter, atque Ecclesiasticâ Græcâ, ut ne-  
 sciat, quæ de carminibus Sibyllinis passim cir-  
 cumferantur, quanto fuerint in pretio apud an-  
 tiquos, & quid responsi inde tulerint sacerdotes  
 sacri, vel quorum intererat, quoties urgente ca-  
 lamitate aliquâ, aut imminente periculo, auctoritate pu-  
 blicâ admissi adirent illos libros atq; consulerent. Fuerunt  
 eruditis in manibus juxta ac pretio, folia Sibyllarum,  
 neq; dubitarunt, plerique Patrum antiquorum Earundem au-  
 toritatem, in asserendis divinis, adversus paganos adhibere, haud  
 secus, ac si certum aliquod atq; indubitatum haberent hîc prin-  
 cipium, quo contra hostes uti, eosque oppugnare & universas  
 gentilium technas elidere, ac penitus destruere liceat. Scriptis  
 Sibyllarum utebantur ad demonstrandam fidei Christianæ veri-  
 tatem, contra adversarios gentiles, illi, qui statim post Apосто-  
 lorum ætatem sequebantur, ut suæ fidei conciliarent & autori-  
 tatem & robur, quibus ab Ethnicis peculiare propterea impone-  
 batur nomen, ut populari dicterio appellarentur *Sibyllini*. *Justi-  
 nus Martyr, Athenagoras*, ut & *Lactantius*, cum *Augustino*, ora-  
 cula ista magni æstimarunt semper, quorum scripta si expendan-  
 tur, ac cum alijs conferantur, colligi licet, quid de hisce carmi-  
 nibus sentiendum sit? An autores illorum, Sibyllæ, vates fue-  
 rint Deo plenæ? Ut vult *Diodorus*, & *Clemens Alexandrinus*, qui  
 quasi inducit *Paulum* Apostolum lib. IV. *Stromatum*; Quod li-  
 bros Sibyllarum perlegendos hisce verbis commendaverit:  
 λάβετε τὰς ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωθε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα  
 Θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. *Capite Græcos codices, legite Si-  
 byllam, ut unum Deum Tres futuras declarat*; An verò carmina,



ipsis assignata, conficta fuerint à Christianis, ad convincendos animos gentilium? Non de nihilo existimamus de hisce disquirere, & veritatem, quantum licuerit, indagatam, luci publicæ venerandam sistere coram, vel indigitare, qui plenius ac solidius, hanc de re conscripserint libros. Verum illud Numen imprimis invocamus, ut sanctis motibus nos repleat, & ad optatum perducatur scopum, quem unicè collimamus, & votis omnibus expetimus.

I. SIBYLLÆ, fœminæ fuerunt inter gentes fatidicæ, oracula reddentes consulentibus de imperiorum mutationibus, imò etiam de rebus divinis, ut, de Deo vero; de Christo; Hujus adversario; de mundi creatione; hominis lapsu; diluvio; de fine seculi &c.

II. Nomen hoc latinum non est, ut Suidas censet; neq; ex Ebræo ortum sibi vendicat, ut Peucero placuit derivare à  $\text{לַבְרָא}$  accepit, unde Cabala sit, doctrina ex immisione, aut patefactione cœlesti accepta, atq; adeò ipsi hoc nomen Sibyllæ, non personæ, sed doctrinæ videtur. Et idem hæc mulieres vaticinas Diaboli ministras extitisse non veretur asserere. Cui contraria adfert Dn. D. Calovius, in Institut: Theol. cap. de Revelat. divina. Sibylla, inquit, rectius Æolica, quam Ebræa statuitur originis, nec è quodam probato scriptore docebitur facile, doctrinam ipsam vocatam esse Sibyllam, omnes voce hæc, ceu personæ nomine utuntur, uti è contra Cabale voce, doctrina, non verò persona designatur. Igitur frustra etiam contendit Galatin. l. i. c. 6. Cathol. Ver. quod itidem obtinere cupit, traxisse ortum potius ex Ebræo jam allato.

III. Græcum autem esse vocabulum, & quidem compositum,  $\text{Σίβυλλα}$  pro  $\text{Θεοβύλλα}$  probatu difficile non est, si resolvatur, juxta aurea præcepta Dn. D. WELLERI p. 49. ita ut  $\sigma$  pro  $\theta$  Laconicè sit positum. Athenæus l. 8.  $\text{δειπνοσοφίς}$ . de voce  $\text{Θιάσος}$ , quâ chorum Bacchicum significari testatur, ait:  $\text{Θιάσος ἄπο τῆς θεῆς, καὶ γὰρ αὐτὴς τῆς θεῆς οἱ Λάκωνες σὶς φασί}$ . Et p. 10. pro  $\epsilon$ . sic  $\text{Σίσυφος}$  ponitur pro  $\text{Θεόσοφος}$ . In altera compositionis parte, loco  $\text{βύλλα}$ , occurrit  $\text{βύλλα}$ , idq; ideò, quia Æoles, & Dores in diphthongis, e. g. ( $\epsilon\iota$ ) & ( $\omicron\upsilon$ ) geminant sequentem liquidam, extrusa vocali modo subjunctiva, modo præposita,

ut

ut ἐγέρω pro ἐγείρω. Sic βύλλα pro βελλή, exurgitq̄, σίβυλλα, Dei consiliaria. Unde cognata ista, σιβυλλιᾶν, σιβυλλαινεν, Sibyllarum more vaticinari, & oracula reddere. Hanc ipsam vocis originem accipit *Isidorus* l. 8. origin. c. 8. *Sibyllæ* Σιὸς *Æolico sermone Deum, Βελλήν, Græci mentem nunciunt, quasi Dei mentem.* Pro inde igitur, quia divinam voluntatem hominibus interpretari soleant, Sibyllæ nominatæ sunt. Sicut enim omnis fœmina prophæans Sibylla vocatur; quod nomen ex officio, non ex proprietate vocabuli est: vaticinantur enim & futura profantur, afflatæ numine, quo Entusiasmo agitantur, & mentem Deum explicant: ut nomen illarum sonat. Gemina huic habet *Servius* in l. 3. *Æn.* Sibylla dicitur omnis puella, cujus pectus numen recipit. Ita tribus modis futura prædicit, aut voce, aut scripturâ, aut signis, i. e. quibusdam notis: vel notis literarum, ut per unam literam significetur aliquid. Consiliaria Dei cur appellari mereantur, explicat dexterrimè *B. meus Schmidius, in Tractatu de Sibyllis, oration. 1. circa initium.* Non ideò, quod consilij Sibyllæ instruxerint Deum, qui nullius hominis consilio indiget: sed quod propter revelationes, & earum promulgationes, quasi participes habitæ fuerint consiliorum & arcanorum Dei, hoc est, fuerint Vates, vel vaticinatrices, quæ arcana quædam consilia Dei hominibus revelarint.

IV. Parum refert jam pugnare velle mordicus, utrum fuerit hoc nomen Proprium, ac peculiare uni cuidam fœminæ, vel Delphidi, vel Erythrææ; an verò Appellativum, & reliquis fatidicis commune? *Lactantij* verba de hac sententia sunt: l. 1. de *falsâ Relig.* Sunt singularum singuli libri: quos, quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse credunt; suntq̄, confusi, nec discerni ac suum cuiq̄ assignari potest, nisi Erythrææ, quæ & nomen suum carmini inseruit, & Erythream se nominatum iri præloquuta est, quum esset orta Babylone, sed & nos confuse Sibyllas dicemus, sicubi testimonijs earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæc Sibyllæ unum Deum prædicant, maximè tamen Erythrææ, quæ celebrior inter ceteras ac nobilior, habetur. Et *Berulejus* meminit scripti cujusdam Sibyllæ Erythrææ libri, ad se delati, qui octo sermones complexus fuerit, cum hoc titulo: Σιβύλλας βιβλίον α. περὶ τῶν ἀνάρχων Θεῶν.

A 3

V. Appel-

V. Appellativum fuisse meritò affurgimus *B. Schmidio* l. 9. *Quum alia nomina, tam Delphica, quàm reliquis Sibyllis fuerint propria.* Unicam enim Sibyllam putare cum *Castellione*, neq; autoritate, testimonijs istius viri, neq; rationibus adduci potest, *Xistus Betuleius*, incomm super *Lactant. de ira Dei* c. 22. p. 476. *Castalio*, inquit, quicquid Sibyllarum nomine fertur, ab una profectum affirmat; ac in suam me propemodum traxit sententiam, argumentis non in speciem modo probabilibus, sed iustis quibusdam rationibus roboratis. Sed ultrò se mihi offerebant, & impediabant, ne omninò in amici sententiam pedibus irem. Obstitit primùm incredibilis Sibyllæ, quam ex multis unam facit, longævitas, à diluvio nimirum usq; ad Tarquiniorum tempora: quod spatium complectitur annos circiter 1770. Et quanquam *Sibylle vivacitas* olim in proverbium abiit, fidem tamen excedit ætas, ita prodigiosa, ut à nullo scriptore tanta commemoretur. Inde obstat nominum varietas, non ex gentibus varijs variantium, sed propriorum maximè. Ipse autem duas saltem cum *Martiano Capellâ*, *Eriphilam*, quæ & *Phrygia* & *Cumæa* vocatur; Et *Symmachiam Cumis* vaticinantem; aut ad summum quatuor etiam admittit, quem numerum pariter *Ælianus* habet lib. 12. c. 35. & recenset *Erythream, Samiam, Ægyptiam, & Sardiniam.* *Phavorinus Varinus* cum *Phileta Ephesio*, tres numeravit; *Apollinis sororem, Erythream, & Sardiniam.* Sacelli Sibyllarum mentionem facit *Solinus, Polyhist. c. 8 p. 20. de Italia*, ponitq; cognomina illarum, hoc ordine: *Delphicam* Sibyllam ante Trojana bella vaticinantem. Hanc *Eriphilen Erythream*, annis aliquot intercedentibus, insecutam esse; *Cumanam*, à *Cumis* ita dictam, tertio fuisse post has loco, ipsamq; ævi seriem hoc probare, affirmat. Hisce plures addunt alij; *Clementi Alexandrin. novem* sunt probatæ: *Samia, Colophonia, Cumæa, Erythrea, Phytæ, Taraxandra, Macetis, s. Macedonia; Thessalica, & Thesprotia.* A quo tamen nominatæ fuerant *Phrygia, Ægyptia, & Italica.*

VI. Omninò tamen decem fuisse Sibyllarum nomine insignitas, probari potest ex autoribus, quos habemus, apud quos certus quidam, nempe *denarius* definitur numerus, quam ex *Varrone, Lactantius lib. 1. Instit. c. 6.* approbat & *B. Schmidius*, non rejicit, quin etiam ab Excellentissimo Theologo, Dn. D. *Galovio* l. c. retinetur, quos duces eligemus, eoq; recensebimus  
ordi-

ordine, quem observarunt Præstantissimi Præceptorum.

VII. *Primum locum* obtinet præ cæteris, *Persica*, ita dicta, alijs autem *Babylonia*, alijs *Chaldea*, alijs *Ægyptia*. Proprium hujus Nomen circumfertur esse *Sambethe*, de quâ *Suidas* hæc memoriæ prodidit: *Sibylla Chaldea*, quæ à quibusdam *Hebræa* nominatur, & *Persica* suo nomine, *Sambethe* dicta, à beatissimo *Noa* oriunda credebatur, de *Alexandro Macedone* vaticinata est: cujus meminit *Nicanor*, qui vitam *Alexandri* scripsit. Hæc de Domino Christo & ejus adventu plurima prædixit. *Suidas* eam dicit natam ad mare rubrum, in eâ urbe quæ *Noe* appellatur. Hinc error ille fortassis ut patriarhæ filia vel nurus putaretur. *Pausanias* de ea, ita loquitur: Post *Demo* in fatidicarum foeminarum numerum conscripserunt *Hebræi*, qui supra *Palæstinam* sunt, gentilem suam, *Sabam* nomine, quam *Beroso* patre, matre *Erymanthe* genitam tradunt. De hac *Saba*, adducitur *Glycas* à *Burchardo* fol. 238, quod ita scribat, *annalium part. 2*. Cæterum *Sabæi* natio sunt *Ægyptiaca*. Eorum regina fuit illa admiranda *Sibylla*. Quippe quæ cum legem ignoraret, nec vates audivisset, per *Salomonem* sapientiæ subministratorem Deum prædicavit. Celebratur, ait, Dominus Deus ille tuus, qui tibi sic faverit, ut te *Israëlitarum* folio Regem imponeret. Vide ibidem *Georgij Cedreni* verba.

VIII. *Libyssa* vel *Libyca* secundo loco à probatis citatur, proprio nomine dicta, *Elissa*. *Alstedij* adjiciamus sententiam, sentientis, fuisse *Deboram* illam, in sacro Codice laudatam Prophetissam. Sed *Lactantius* censet fuisse *Lamiam*, gentilium figmentum illud, quæ inter gentes carmina sparserit, indeque nomen *Sibyllæ* meruisse. Multa hæc de exitio gentium prædixit propter idololatriam, scelera, quibus Deum provocaverint. Prædixit pariter & illa, fore, ut *Christus*, Dei filius nasceretur, multa miracula editurus. Passionem ejus, patientiam, & mundi conflagrationem, resurrectionem mortuorum, & æternam vitam, pijs præparatam, eadem vaticinata fuit. Carmina ipsius vide in *Burchardo*, fol. 243. seq.

IX. *Tertiam*, statuunt *Delphicam*, quæ *Manto*; & *Thessalica*, *Daphne*: it: *Themis*, appellatur. Pauca de Hujus Phæbadis scriptis ad manus hominum venerunt, nisi quod *Alstedius* ipsi tribuat vaticinium de Virginis partu & *S. Augustinus* l. 18. C. D. c. 21. se in hujus *Delphicæ Sibyllæ* libris, hæc verba reperisse scribat: *Nascetur propheta ex Virgine, absque humanâ corruptione.*

X. *Quar.*

X. *Quartam* producimus, *Cumæam* Phœbadem dictam, alijs *Cimmeriam*, à lacu Italiae *Cimmeriâ*, Cumis vicina, ubi vaticinia sua edidit. Videat: *Pausan:* in Phocicis. Ejus speluncam describit *Virgil:* l. 3. *Æneid.*

*Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,  
Divinosq; lacus, & Averna silentia ripis,  
Insanam vatem aspicias; quæ rupe sub imâ,  
Fata canit, folijsq; notas, & nomina mandat.  
Quæcumq; in folijs descripsit carmina virgo,  
Digerit in numerum, atq; antro seclusa relinquit.  
Illa manent immota locis, neq; ab ordine cedunt.  
Verùm eadem verso tenuis cum cardine ventus  
Impulit, & teneras turbavit janua frondes,  
Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo,  
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.  
Inconsulti abeunt, sedemq; odere Sibyllæ.*

Deq; eadem agit in *lib. 6. Æneid.* cujus Historiam, juxta *Ovidij* dictum *Servius* perstringit, super *6. Æn.* Hanc (*Cumæam*) *Apollo* pio amore dilexit, & ei obtulit, quod vellet arbitrium. Illa hausit arenam manibus, & longam vitam poposcit: cui *Apollo* respondit, id posse fieri, si *Erythram* insulam, in quâ habitabat, relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur *Cumas* tenuit. Quod cum cives ejus cognovissent, sive invidia, sive miseratione commoti, ei *Epistolam* miserunt creta, antiquo more signatam: quâ visâ terrâ (nam erat de ea *Insula*,) in mortem resoluta est. Refertur ad hanc ipsam ut & ad paulò post sequentem *Cumæam*, quod in *Eclogâ Virgilij IV. tâ*, *Pollioni* consecratâ legitur: *Ultima Cumæi* venitiâ carminis ætas. De qua quid sentiendum sit, videri potest *Excell. Dn Buchnerus* in *orat. pecul.*

XI. Jam ad *Quintam* pergimus, quam ab Auctoribus vocari legimus *Erythræam*, sic dictam, vel à loco *Erythrarum*, ubi nata; vel ab *Apolline Erythreo*, qui in templo, sive vici, sive urbis *Erythres* publicavit oracula. Hæc præ cæteris *Sibyllis* clarissima passim circumfertur & nobilis. *Lactantius* illam dicit fuisse *Babyloniam*, vocatamq; fuisse proprio nomine *Erythræam*, non ab aliqua urbe, vel regione. Inde fortè *Strabo* duas fuisse  
memi-

meminit *Erythraas*, unam superioribus, & priscis temporibus; alteram recentioribus. Dictam enim aliquos, voluisse *Erythream*, à vicinitate Erythrarum, illam ipsam, quæ septimo loco recensetur, appellatam aliàs *Cumanam*, habet *Dn. Schmidius*, & benè addit: *ad exemplum Nobilissimæ & antiquissimæ Sibyllæ Erythrææ, ita fuisse nominatam*, posteriorem putata. Et non immeritò putarem, Hanc ipsam & *Cumæam* & *Cumanam* intelligi, quam *Virgilius* non uno in loco, sed passim allegatam voluit, quanquam sententiam saltem nostram hîc aperire velimus. Cum aliàs confusio ingens & mixtum veluti chaos habeatur, circa Sibyllarum nomina & ordinem. Facit autem expressè mentionem *Cumæi* carminis *Virgilius*, facit idem postea, cum res ipsi est, cum *Æneâ*, post *Ilij* excisionem, locis supra citatis. Et *B. Schmidio* nullum dubium fuit, putare *Cumæam* cum *Cumanâ* planè eandem & unam fuisse. Imò *Eusebius* attribuit *Cumææ* *Sibyllæ* carmen *Erythrææ* in *Constantini* oratione *XIIX & XIX. Cap.* De cujus applicatione, videlicet ad *Christi* Nativitatem, miracula, virtutes, mores, peculiarem olim instituit dissertationem *venerandus noster Senior, Dn. Buchnerus*, ostendens, quid de *Eusebij* interpretatione sit sentiendum. Distinctionem tamen facere lubet inter *Erythraas*, cum *B. Schmidio*, in alterâ oratione circa initium. Ubi de *Cumana* loquitur, ad exemplum antiquissimæ *Erythrææ* appellatâ, eò quod propter cognomenti similitudinem eadem persona non statim sit statuenda. An verò & hæc *Nobæ* *Patriarchæ* fuerit *nurus* s. *νύμφη* quo utroq; nomine sese exprimit, in carminibus suis, cum recenlet, se effugisse aquas diluvio, cum quibusdam socijs:

Ὡ γενεῆς ἕκτης πρῶτον γένῳ, ὃ μέγα χάρμα,  
 Ἡς ἔλαχον μετέπειθ' ὅτε ἐκφυγον αἰῶν  
 ὄλεθρον,

Πολλὰ κλυδωνισθεῖσ' ἀμ' ἐμῷ πύσει, ἢ δαερῆσιν,  
 Ἡδ' ἐκυρῶ θ' ἐκυρῆ ὁμονύμοισιν τε παρθῶσι.

B

Oavi

Oevi sexti stirps prima, gaudia magna,  
 Quae fertita fui, postquam discrima mortis  
 Effugi, jactata meo cum conjugum multum,  
 Nec non cum Leviris giores, socerog, socruq.

Numquid ergo una eademq; erit & Haec, cum superiori *Persica*,  
 cui hi versiculi à quibusdam ascribuntur, ut habet *in orat. 1. & 2.*  
*postmodum*, etiam *Dn. Schmidius*, nec non *Boissardus* f. 237. sed  
 rectè *hic* censet versiculos hos esse non *Persicae* Prophetissæ, sed  
 sed potius hujus nostræ *Erythrae*; Ille verò ita distinguit inter  
*Persicam* supra commemoratam, & hanc nostram, ut arbitretur  
 illam ex *Suide* loco, natam fuisse in oppido *Noë*, & quidem, si ve-  
 ra sit famâ, quod *Berosus* & *Erymanthe* Parentes ejus veri sint  
 habendi, longe ita fore posteriorem diluvio mundano, de quo  
 tamen antea vaticinatam esse producebantur à quibusdam ver-  
 sus *Sibyllini*. *Erythrae* autem convenire & vaticinia, de dilu-  
 vio, turri *Babylonica*; nomen filiae *Noahi*, sive nurus, aut uxoris  
*Japheti*: nec non *Græcam* linguam, fusius & justè asseverat, pro-  
 batq; *in oration. 3. de Sibyll. libr. autor.*

XII. *Sexta* sequitur *Samia*, dicta nomine *Φυτώ*, propter  
 excellentem doctrinam cujus *Valer. Maximus* meminit *Libr. 1. de*  
*ominib.* ab *Eusebio* vocatur *Herophile*. *Ælianus* l. 12. *Var. Hist.* eam  
 vixisse ait temporibus *Numæ Pompilij*. Sic & *Augustinus* l. 18.  
 c. 29. *Numâ regnante Romæ, & apud Hebræos initio regni Manas-*  
*se, à quo impio Rege Esaias perhibetur occisus, Samiam fuisse Si-*  
*byllam ferunt.* Vocatur alijs etiam *Samomea*, ut *Cedreno*; *Sam-*  
*monetem Herophilen*, *Hieron.* quoq; appellavit. Hanc maximè  
 omnium avertisse gentes crebris exhortationibus, à cultu *Dæ-*  
*monum* & *idolorum* latria, testantur versus, quos vide apud *Bois-*  
*sard. fol. 249.*

XIII. *Septimam* habemus, *Cumanam*, quæ plerisq; *Amal-*  
*thea* audit, nonnullis *Demophile*, *Suidæ Herophile* est, perperam  
 autem *Herophilen* *Eusebius* vocat, censente *B. Schmidio* *Orat. 1.* Eam  
 novem libros attulisse ad Regem *Tarquinius Priscum* non au-  
 tem *superbum*, *Vid: Schmid.*) ac pro eis trecentos *Philippeos* po-  
 stulavisse, Regemq; aspernatum pretij magnitudine derisisse mu-  
 lieris

118A.  
lieris insaniam: illam in conspectu Regis tres combussisse, ac pro  
reliquis idem pretium poposcisse. Tarquinius multo magis  
mulierem insanire putasse. Denuò tribus alijs exustis, quum in eo-  
dem pretio perseveraret, motum fuisse Regem, ut residuos trecē-  
tis aureis emeret: Horum postea numerum fuisse auctum, Capi-  
tolio relecto, quod ex omnibus civitatibus, & Italicis & Græcis,  
& præcipuè Erythræis coacti, allatiq; sint Romam, cujuscunq;  
Sibyllæ nomine fuerant. Hæc de Christi Baptismo, in Jorda-  
ne, de voce Patris & Spir. S. de Christi miraculis, Resurr: Fine  
mundi, & alijs cecinit.

XIV. *Octavam* referimus *Hellepontiacam*, ex vico *Mar-  
pesso* oriundam in agro Trojano, quam scribit *Heraclides Ponticus*  
Solonis & Cyri fuisse temporibus. Vide *Lactant. Betul.* ibi ad  
hanc Sibyllam affert *Stephani* testimonium, eandem pla-  
nè esse cum Sphynge, percutiq; solitam in numismate, & ejus  
sepulchrum extitisse in tēplo Apollinis Gergithij, ab oppido Ger-  
githos ad Hellepontum in Trojana ditione. Carmina illius  
de Æterno Dei Filio, Christo; adventu, passione, tenebris & Ec-  
clipsi in morte servatoris, fine mundi, judicioq; extremo; Vide  
*in Boissard. fol. 265.* Multa hæc sacra mysteria per obscura æ-  
nigmata hominibus communicavit. Unde Gergithij ejus effi-  
giem in suis monetis sculperere solebant, unà cum sphynge.

XV. *Nona, Phrygia* dicitur, hanc proprio nomine voca-  
tam fuisse Sibyllam refert *Coelius Rhodiginus* l. 14. c. 1. Dardanus  
Samothraciâ relictâ in Phrygiam venit ad Teucrum Regem, cu-  
jus filias duas uxores duxit Batiam, & Nesonem: ex Nesone  
nata est filia fatidica, quæ spiritu fatidico, & divino afflata, po-  
pulis sciscitantibus responsa de futuris pronunciabat, nomine  
propria dicta Sibylla: quapropter summo honore culta est in  
Asia, propter communicationem, quam credebatur habere cum  
Apolline, qui illi inspirabat oracula admiranda. In urbe Asiæ  
minoris Phrygiâ Ancyrae, ut plurimum sua dedit responsa. Un-  
de proverbium: *Naviget Anticyras.* Hujus versus de Christi Na-  
tiv: & Maria Virgine & Angeli de eâ ipsâ nuncio, vide in *Burch.*  
fol. 269. Ibidem & de Christi passione, descensione ad inferos,

ac 3. die factâ resurrectione, & alijs rebus divinis, leges carmina.

XVI. *Ultimus* deniq; & *decimus* in ordine numerus, petit *Tiburtinam*, cognomine *Albuncam*. Tiburi enim hæc ad Anienem fluvium, qui & Albula dictus est, sua reddidit oracula, & propter excellentes futurorum prædictiones, ab incolis Anienis pro patria Deâ culta fuit. Vaticinat est, de Romano fastu & exitio, viâ vitæ & mortis, Christo Rege, nascituro in Bethlehem, & de felicitate piorum. De hac tradunt *Augustum Cæsarem*, cum ad summum pervenisset imperium, lectisq; libris Sibyllinis, dictum ibi de venturo summo Rege, ac rerum Domino, de se latum arbitratum, intumuisse, ut parum abesset, quin adulatorum instinctu, se Dominum compelli divinisq; honoribus coli juberet. Dubius cum esset quid faciendû sit, adit tandê Tiburtinæ Sibyllæ oraculum, quæ Imperatorem oculos in cælum attolere jussit, ubi illi ostendit Virginem, formâ singulari, continentem filium lucis radijs coruscantem. Et hunc ipsum ostendit Phœbas futurum Regem & Dominum, solum inter homines adorandum.

XVII. Et hic est numerus decantatarum decem Sibyllarum, præter quas, si aliæ afferuntur, ut *Colophonia*, & *Elyssa* & *Epirotica*, & *Thessalica*, quas habet *Ludovicus*: Vives in comm. super August. l. 18. C. D. c. 23. additâ etiam *Nicaula*, Æthiopiæ, Arabiæq; felicis Reginâ, iter longinquam suscipiente ad Salomonem, Regem sapientissimum de quâ vide Josephum lib. 8. antiq. Jud. 6. Dicimus cum *B. Schmidio*, non quaslibet feminas, naturæ mysteriorum, quacunq; ratione gnaras, qualis *Nicaula* fuit, Sibyllarum homine venire, sed quæ simul enthusiasmos sacerdoticos habuerunt.

XVIII. Extitisse autem Sibyllas, nos non sinit dubitare frequens illa earundem apud probatissimos autores mentio, quidus fides temerè deneganda non est. Gentiles eò solitos esse confugere, ut dicant, non esse illa carmina Sibyllina, sed à Christianis conficta atq; composita, scribit *Lactantius* lib. IV. de vera sapientia, c. XV. sed provocat ad autoritatem classicam eorum, qui communi suffragio tradiderunt, quod fuerint aliquândo Sibyllæ. Videatur.

XIX. Scri-

XIX. Scripta eorum porro sub inendem vocanda veniunt. Fatendum omnino est, peculiare libros Sibyllarum hodie non extare, sed excerpta hinc inde, & collecta legi posse carmina, & fragmenta Sibyllina. A quibusdam octo libri laudantur: olim autem, non tantummodo particularia quaedam oracula, sed & integra volumina in manibus sacerdotum & doctorum fuisse, non fallunt tot assertiones. In sacrario templi Jovis in Capitolio, arca lapidea in clasi primùm *duum virum*, sacerdotum fidei commisi fuerunt isti libri, nec fas erat cupiã transcribendos cõmunicare, neq; eos nisi senatus auctoritate, quoties opus esset, adire, legere, interpretari, & quæ juberent, ut perficeretur, curare. Augebatur autem postea custodum numerus, ut eligerentur decem, inde quindecim Viri, usq; ad tempora Syllana. Fufius hac de re egit *Dn. Schmidius*, qui distinguit libros *Sibyllin: in duas classes. In unã*, tres illos Sibyllæ Cumanæ fuisse ait, qui fata Romana continuerunt, & in arcanis religiosè habitos, ut à nemine nisi à sacerdotibus sacrorum inspicerentur: quos ex incendio priori reparatos tandem Stillico, Honorij Imperatoris socer Capitolij curavit. *Claudian.* Geticis grassatur proditor armis, Antè Sibyllinæ fata cremavit opus: *In alterã*, octo illos collocat, qui ex diversarum Sibyllarum vaticinijs, sub Syllã, & præcipuè sub undiq; Augusto congesti & publico usui permisi fuerunt, eò quod Romana fata peculiariter non cõcernerent. Quo referuntur & *ἀργοσιχίδες*, quas vel Romæ, vel in Asia, legisse *Ciceronem* testatur locus l. 2. de divinit: ubi ad *ἀργοσιχίδα* quandam alludit, quæ & hodie extat, putaturq; esse sequens:

Ἰσθὺς χερσὶ θεῶν υἱὸς, ΣΩΤΗΡ.

Collectis literis oritur vocabulum *ἰχθὺς*. *Betulejus ad locum Latant.* de Sibyllis explicat hoc vocabulum. Et versus legi possunt ordine apud Burchardum fol. 206. *Eusebius* in orat. hoc ipsum *ἀργοσιχόν* fuisse perhibet à Ciceronè perlectum.

XX. Ultimi ergo libri Sibyllini ad Christianos translati sunt, atque ad nostra usq; tempora conservati, in quibus licet multa imperfecta & vitiosa reperiantur, culpam tamen non Phœbadibus, sed Notarijs, qui orationis impetum assequi requi-



1162.  
verunt, ascribendam potius inter cætera, indicavit *Suidas*. Unde & mirum non est, confusionem quandam offendi, si perpendamus carmina hæc sacra, non ab ipsis Sibyllis, sed alijs, ut XV. viris fuisse digesta pro arbitratu suo.

XXI. *Socini* argumenta, quæ affert ad evincendum: Sibyllas non extitisse, sed carmina ipsis assignata, à Christianis conficta, ad gentiles lucrificandos, narrationes autem de Sibyllis fabulas esse, diluit *Dn. D. Calovius noster, in Institut. Theol. pag. 443.*

XXII. Admiratione autem dignum est, & indagatione sedulâ, quid scripserint Sibyllæ istæ, in paganismo constitutæ, & unde habuerint tanta mysteria fidei, oracula, & vaticinia? Sanè lectione hominis Christiani non indigna, neq; futilia continent illarum carmina. Sive enim quis capiatur lectione de communi vitæ statu quædam pernoscere, non desunt adhortationes fideles, ad opera Deo grata & accepta promoventes; sive Politicum forum concernentia velis, diximus supra illos libros adijisse Romanos, quoties Imperio immineret vel aliquis casus aut necessitas urgeret.

Maximè v. omnium illud singulare quoddam est, quod & in sacris versatissimas fuisse perspicimus; quod tam clarè tamq; perspicuè omnia, de Deo vero colendo, reliquis verò gentilium Numinibus, Jove, Saturno, alijsq; Commentitijs removendis, de Christo Salvatore, ejus Nativitate, Passione, Resur. miraculis quàm plurimis ab Eo edendis olim; præterea alia, vaticinâdo memoriæ prodiderint. Siquidem reputamus animo, atq; revolvimus illa, apud *Lactant. l. 4. de verâ Sap. c. 15.* quæ in versibus ejusmodi leguntur, de Christo, super mare ambulante; de saturatis 5000. hominum, quinq; panibus; de ventis solâ voce sedatis à Christo; hæc omnia prædixisse dicuntur Sibyllæ, ut & de coronâ spineâ, gestanda à Salvatore, de colaphis inferendis sanctissimo & modestissimo vultui de velo templi dissolvendo, cuncta illa, neque Prophetarum ulli, neq; sancto cuidam in Dei populo fuerunt revelata. Ecquid igitur dicemus, Deum pe-  
culio-

cilio suo electo, Judæis, hæc invidisse, Gentiles verò clariore  
 voluisse revelatione mactare? Hic fortè discrimen cõstituen-  
 dum, inter supposititia quædam, à Christianis postea, ex Evan-  
 gelica Historica conscripta carmina, quod & acuratè monet  
*Dn. D. Calovius l. c. p. 446. citatur Augustinus l. 18. de C. D. c. 47. Pro-*  
*phetias ejusmodi à Christianis confictus putari posse. Nempe illas,*  
*quæ nuspiam in Prophetis antea apparuerint. Descendimus*  
*enim ad quæstionem: Unde acceperint fatidicæ hæ mulieres ejus-*  
*modi vaticinia? Augustinus lib. 13. contra Faustum c. 13. putat eos*  
*Dæmonis instinctu & dictamine edidisse talia. Sibylla, ait, vel Si-*  
*bylla, & Orpheus, & nescio quis Orpheus, & nescio quis Homerus, & si*  
*qui alij vates, vel sapientes, vel Philosophi gentium, de Filio Dei, aut*  
*de Patre Deo vera prædixisse, vel dixisse perhibentur, Valet quidem*  
*aliquid ad paganorum veritatem revincendam, non tamen ad au-*  
*thoritatem amplectendam; cum illum Deum nos colere ostendimus,*  
*de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos gentiles populos idola &*  
*dæmonia colenda partim docere ausi sint, partim prohibere ausi non*  
*sint &c. Mystera enim Fidei & Prophetarum oracula, neq;*  
*dæmoni ignota fuerunt, quæ suis vatibus quoq; communicare*  
*potuit, tum ad eludendam, vel pervertendam Prophetarum do-*  
*ctrinam; tum auctoritatem suis oraculis conciliandam vel quæ-*  
*cunq; mille artifex intendere habuit alia.*

XXIII. Sed neq; incongruum est dicere, divino afflatu ex-  
 traordinario percussas quoq; fuisse Sibyllas, cum quandoque,  
 singulari Dei consilio, reprobi, & qui extra Ecclesiæ pomeria  
 fuerunt hoc gaudeant. Augustin. l. 18. C. D. c. 47. *Fuisse & in alijs*  
*gentibus hominibus, quibus mysteria revelata sint, & qui hæc etiam*  
*prædicere impulsæ sint. Sic exemplo nobis est Bileamus & Caiphas in*  
*sacris.*

XXIV. Fieri tamen facillimè potuit, ut hæc mysteria,  
 per traditionem à majoribus accepta, possederint, Conversari  
 enim licitū erat cum Hebræis, legere scripta eorum V. T. è quibus  
 non exiguam sapientiam *Pythagoras, Plato* aliq; sibi compa-  
 rarunt. *Vid. Justin. Martyr. in Parænes. ad Gentiles, Clem. Alex.*  
 libris

libris stromat. *Euseb.* libris de Præpar. Evangel. *Theodor.* de  
Græc. affectionibus. *Augustin.* l. 8. c. 11. Confer *Dn. D. Calo-*  
*vium,* l. c. p. 445. Qui subjungit accuratum iudicium de oracu-  
lis Sibyllinis, quantum valoris & momenti obtineant ad hære-  
ticos refutandos? nempe apud Gentiles, inquit magno in pre-  
tio fuisse Sibyllas, ideoq; ad Gentilium refutationem esse adhi-  
bendas, non item ad hæreticos, ad quorum errores destruendos  
sufficiantia nobis ex ipsis literis sacris subministrantur. Quod  
si verò fide solidissimè firmata è scripturis, secundariò ad-  
ducantur, admitti posse & has, qua scripturis  
consonant.

DEO Benignissimo pro splen-  
didissimo Evangelij fulgore unice  
sit Gloria in Secula.



1077



HC  
1192

V15 3887

I. N. J.  
DE

# SIBYLLIS

In Almâ VVittebergenſ.  
*Publicè diſputabunt*


**M. JACOBUS Reichmann/**

Sereniſ. Elector: Saxon. Alumn. Collegij Philoſ.  
Adj. S. S. C.  
*Et*

**M. PAULUS PHILIPPUS RÖBERUS,**

Witteb: Saxo.  
*Ad diem 2. Maji.*  
In Auditorio Minori.

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typograph.  
ANNO M. DC. LV.



B. C. ... 24.

